DE HEPATIS CIRRHOSI, QUA HEPAR AMPLIFICATUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
DIE X. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXIV. HORA XII.

AUCTOR
FRIDERICUS FRANCISCUS SCHULTE
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
H. SCHUNCK, CAND. MED.
G. GOEDECKE, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,
FORMIS ORPHANOTROPHEI.

PATRI

DILECTISSIMO MAXIMEQUE VENERABILI

FRANCISCO GUILELMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

DE HEPATIS CIRRHOSI, QUA HEPAR AMPLIFICATUM.

MORBI HISTORIA.

Indurationem granulosam hepatis, licet cirrhosis nomen Laenneco demum autore huic hepatis morbo a medicis tributum sit, tamen diu iam multaque ante cognitam fuisse, non est, quod dubites. Legitur enim iam apud Aretaeum (lib. I. Cap. XIII.): „Verum si a phlegmone hepar non suppuratur nemini dubium fuerit, tumorem durum subsidentem in scirrhum mutari ac stabiliri.“ Quamvis igitur haec de causa, qua induratio hepatis efficiatur ab Aretaeo omnino recte disputata esse non possis non concedere, tamen veteres autores si adeas multi tibi occurrent loci, quibus facile intellexeris multis ac variis nominibus, quibus hepar induratum significarent, non certam illos definitamque notionem subiecisse neque solum stadium tertium hepatitidis interstitialis diffusae, sed etiam diversissimas hepatis affectiones illis significationibus descripsisse. Ita etiam

a Morgagnio carcinoma idem esse iudicatum atque granulosam hepatis indurationem e libris eius facile fit perspicuum. Vesalius (op. Tom. II. pag. 674) hepar cirrhosi degeneratum hoc modo describit: „Hepar totum candidum et multis tuberculis asperum, tota anterior iecoris pars et universa sinistra sedes instar lapidis indurata erat.“ Morgagnius in epistolis suis haec narrat: „Iecur durum intus extraque totum constans ex tuberculis, id est glandulosis lobulis evidentissimis et evidentissime destinctis, nec tamen naturali maior.“

Laennecum igitur primum fuisse supra vidimus, qui indurationi hepatis granulosae variis antea significationibus ab autoribus descriptae cirrhosis hepatis nomen induerit, causam eius neoplasmata esse dixerit non hepatis solum sed aliorum etiam corporis organorum propria. Verum tamen quo rectius, quae sit hepatis textura perspicuum est, eo celerius medicorum de hac re sententiae alternatae sunt, ita ut nulla diu probaretur. Atque primum quidem haud ita multo post Laenneci mortem haec apud omnes fere medicos valuit opinio, ut alteram hepatis partem, quae bilin secerneret amplificari putarent, dum altera, quae vasa teneret, diminueretur, ita ut hepar distinctis parvis locis aut latum aut depressum fieret granulosum. Deinde Becquerelius, quum hepar duabus partibus compositum esse ubique negaret, tum de origine indurationis hepatis granulosae novam rationem doctrinamque tradidit

cogitationi, quam de hepatis textura sibi finxerat accommodatam. Atque ne nunc quidem in cogitatione naturae indurationis hepatis granulosae difficultates omnino expeditae sententiarumque discrepantiae prorsus sublatae sunt, quamquam, quae sit normalis hepatis textura hodie perspectum esse non recte negaveris. Ita Oppolzer (Prager Vierteljahrsschrift, Band IV. Seite 17) cirrhosis originem repetit partim ab inflammatione cum obliteratione coniuncta partim a compressione ultimorum ramorum venae portae effecta ramorum primorum ductus cystici extentione, quae substantiae alicuius pinguis infiltratione efficitur. Sed ex communi de natura indurationis granulosae hepatis sententia, quae a doctissimis comprobatur, haec ex hepatitide interstitiali diffusa profecta esse putanda est.

DECURSUS MORBI.

Atque haec hepatitis interstitialis diffusa tria percurrit stadia quorum alterum in alterum sensim transire solet. — Primum stadium est inflammationis cum exsudatione coniunctae. Quod quidem stadium mortem nunquam ducens, tamen in mortuis, qui aliis morbis interierunt, observatum est, ita ut hepar iis locis, quibus ramificationibus capsulae Glissonii transmissum est, valde hyperaemicum sit. Lobuli hepatis si, quod quidem satis raro fieri assolet, hyperae-

mia singulatim per singulos lobulos transit eosque seiunctos rubra stria circumsuit, conspicui sunt. Attamen saepius evenit ut, striae hyperaemicae hepati insertae complures lobulos, atque Foersterum quidem si sequi licet quatuor vel duodecim, vel etiam plures complectantur, quum hi lobulorum ordines striis ita cincti serius demum ipso morbo afficiantur. Verum enim haec hyperaemia interstitialis non eadem habenda est, quae stasi venarum hepaticarum ex circulatione impedita, quae aut impressione tumorum vicinorum aut cordis aut pulmonum vitiis efficitur, orta. In hac enim hyperaemia hepar omnibus fere in partibus aeque rubescit, cum lobulus quisque, vena centrali sanguine nimis impleta, hyperaemiae particeps fiat. Illa hyperaemia interstitiali diffusa, si non hepar mox in perpetuum reducitur in normalem statum, id quod, quae est morbi causa, facile fieri potest, plerique autores exsudationem inter singulos sive complures lobulos sive lobulorum ordines, qui striis hyperaemicis erant facti, effici contendunt, quo exsudato materia praebeatur earum permutationum, quas textura cellulosa interstitialis in morbi decursu percurrit.

Hoc igitur stadium exsudatione ita ad finem perducta iam sequitur alterum illud, quo textus coniunctivus amplificari solet, quod stadium tanquam cirrhosis hepatis significatur secundum. Atque huius quidem generis hepata haud raro inveniuntur. Est enim hepar hoc in stadio modice plerumque crassata et organis finitimis, quae sunt ventriculus,

colon transversum, diaphragma haud satis arcte adhaesiva; deinde etiam hepatis densitas iam erat aucta et facies eius in planicie, quae fit hepate persecato, mirum in modum est striata recente textu reticulato totum hepar transmisso, qui ex multis constat corpusculis in diffissionem discessuris cum substantia intercellulari modice fibrata. Inter has recentis textus strias inter se connexas, ordines lobulorum, qui in earum interstitiis sunt siti, inveniuntur, quorum structurae functionibusque aut plus minusve aut minime officitur, prout textus striarum ipsa impressione aut circulatione impedita perniciosam in has partes vim habet. Interdum etiam in hoc stadio singulae hepatis parenchymatis partes se offerunt, in quibus recens textus ita reticulatus inveniatur, ita ut earum constructio, quod ad lobulorum perspicuitatem attinet, ab hepate suillo non multum differat. Hoc secundum stadium plerumque satis celeriter a tertio excipitur. Quod vero stadium, quod ad volumen hepatis attinet, non eundem habet semper exitum, deminutionis. Quamquam illud, quia multo saepius in hepatitide diffusa interstitiali observatur tamquam stadium hepatis deminuti intelligi solet, tamen vero, quum talis deminutio hepatis in minorem quam normalem modum, licet tertii cirrhosis stadii maxime propria sit nota saepissimeque observata, nihil aliud sit nisi effectus illarum permutationum, quas hepar in hoc stadio percurrit minimeque stadii ipsius natura sit, ego quidem non video, quo iure haud pauci medici

hepar deminutum tertii cirhosis stadii notam habeant principalem. Praeterea intelligi non potest, quid illa tria hepatis stadia sibi velint, si fieri possit, ut hepar, quod habeat maiorem quam normalem amplitudinem, non esse in tertio cirrhosis stadio habendum sit, quamvis omnia illa, quae tertii stadii sint propria, idem hepar habere signa negari non possit. — Mutationes principales, quibus tertio in stadio hepar est affectum sunt hae. Textus coniunctivus, qui secundo in stadio est genitus magis magisque redditur fibratus. Striae omnes, quibus hepar est transmissum firmiores atque densiores fiunt. Hepatis cellulae, quae tunc maxime sive comprimuntur sive circulatione impedita alimento indigent, multis in lobulis magna ex parte aut omnes, postquam degeneratione quadam in pinguem substantiam sunt mutatae pereunt eaeque, quo proprius absunt a parte lobulorum centrali, eo serius. Primae radices ductus cystici multis locis compressi fiunt invii, ita ut in omnibus illis partibus, ex quibus bilis secreta defluere non possit, exsistat bilis stasis. Quam ob causam exsistit Icterus, qui eo gravior est, quo magis bilis defluxus est impeditus. Eadem causa, qua efficitur Icterus, stasis in ramis venae portae exsistit, quam ob rem deinde omnium organorum, quae sunt in peritonaei cavo sita, et peritonaei ipsius venae sanguine implentur. Res quam ita se habeat, partim vasis illis novis, quae in textus striis sunt genita, sanguis ex portae vena impleta in venas hepaticas transducitur, par-

tim praecipue illae, quae iam in statu normali inter radices venae portae et venam cavam inferiorem, epigatricam mammariamque internam inveniuntur anastomoses circulationem adiuvant. Ii hepatis lobuli, qui non ipsi textu coniunctivo amplificato compressi perditi sunt, striis fibratis contractis lati hepatis superficiem superant, itaque illae exsistunt granulationes tuberculaque, quae iam supra commemoravi. Quae quum ita se habeant, granulationes tuberculaque eo magis apparent perspicua, quo artius partes interpositae striis fibratis stipatae constringuntur. Quum autem hepatis cellulae magis magisque pereant, quam esse causam alteri censent striarum fibratarum contractionis, alteri id negant et dicunt, quod verisimilius esse videtur striarum contractione effici, ut hepatis cellulae destruantur — et quum textus coniunctivus magis magisque fiat fibratus, hepar in diem durius redditur, ita ut hepar duritiam quandam cartilagineam assequi possit. Plerumque tantum parenchymatis hepatici striarum fibratarum contractione destruitur, ut textus ille hepatitide interstitiali procreatus, hepatis amplitudinem in normalem modum reddere non possit. Etiam plerisque in casibus verisimilius est, secundo modo in morbi stadio textum coniunctivum gigni augerique, tertii autem stadii proprietatem a mutationibus ultimis, quas textus genitus percurrit, tantum esse repetendam, ita ut tertio in stadio raro recens textus ad conspectum veniat. Res si ita se habet, hepar, praesertim

si in secundo stadio non multo erat amplificatum, in tertio in minorem quam normalem modum redigi necesse est. Sed quum fieri possit, ut, si secundo in stadio permulto textus coniunctivus amplificatus erat, amplitudo, quamvis in tertio stadio textus fibratus contrahatur et hac causa cellulae hepatis destruantur, hepatis tali modo degenerati tamen superet normalem modum, id iam satis est, quo intelligi possit, non esse necesse, hepar cirrhoticum tertii stadii semper esse in minorem modum redactum. Huc accedit, ut non exsudato solo in primo stadio facto ad textum coniunctivum gignendum augendumque materia praebeatur sed ut in textu ipso quidem, quod a Frerichio primo est observatum, novum vasorum systema exsistat, quo textus quandam constantiam vitalem, ut ita dicam, assequatur, ita ut hic recens textus, vasis illis novis genitis facile nutriri atque augeri possit, quod minus mirabile invenies, si id cum mutationibus textuum fibratorum aliorum organorum comparaveris, in quibus eodem modo vasis genitis textum fibratum amplificari, iam diu constet. Itaque putandum est, textum coniunctivum non modo in secundo stadio gigni vel augeri, sed etiam fieri posse, ut per tertium stadium textus coniunctivus ille augeatur, quamvis id in tertio stadio maximis in casibus non tantopere fieri, quam in secundo concedendum.

AETIOLOGIA.

Quod ad causas attinet, quibus Cirrhosis hepatis effecitur, reperimus, plurimos homines, qui tali hepatis morbo affecti sunt, aut potatores aut syphiliticos fuisse. Locis, quibus permulti homines nimis crebro vinis spirituosis utuntur, ut urbibus portu ornatis, cirrhosis hepatis prae aliis saepe invenitur. Quo modo abusus spirituosorum hanc hepatis mutationem efficiat, adhuc non constat. Officit etiam texturae hepatis perpetuus usus aliorum alimentorum, quae sanguinem calefaciant. Cirrhosis hepatis quoque observata est post peritonitides chronicas, qua in re inflammatio a tunica serosa ad textum coniunctivum translata est. Praeterea complures, qui hepatis cirrhosim observaverunt, febrim intermittentem eius causam nominant. Tamen semper restant quidam casus, quibus et aliae quoque minus probatae, quam eae, quas supra diximus, causae confinguntur et nulla hujus morbi causa inveniri potuit. Qua de causa autem accidit, ut tum cirrhosis hepatis ad minorem modum redigatur tum morbo affectum organum usitatam magnitudinem multo superet, diiudicare non audeo, praesertim quum in utroque casu, qui mihi in hac dissertatione prae manu est, in quo cirrhosi magnum hepatis incrementum observatum est, nulla caùsa singularis inveniri potuit: in altero enim causa intemperans usus spiri-

tuosorum, in altero eadem una cum syphilitide causa observata est. Cirrhosis cum ea degeneratione, quae vocatur amyloides, coniuncta, neuter casus pro statu haberi potuit, quamquam haec ipsa res in cirrhosi hepatis cum incremento imprimis respicienda est.

SYMPTOMATOLOGIA.

Quod attinet ad symptomata, quae hepatis cirrhosis, si hepar in tertio stadio maiorem, quam normalem habet amplitudinem, sunt propria, illa omnino, nonnullis localibus discriminibus exceptis, sunt eadem, quae habet cirrhosis hepate in minorem modum redacto. Omnes illae res, quibus hepatitis interstitialis diffusa corporis constitútionem corrumpit, sunt singulis in casibus magna ex parte diversae, nam partim pendent ex stadio, in quo hepatis vitium est, partim ex morbi causis ipsis, ex complicationibus quae vel iam initio morbi adsunt, vel potius morbo progresso exsistunt. Quam ob causam symptomatologia hepatis circhosis est maxime complicata. Omnibus illis symptomatibus, quae huius morbi sunt in primo et secundo stadio propria neglectis, illa tantum symptomata tertii stadii commemorabo, quippe quae sola ad hanc dissertationem perti-

neant. Symptomata, quae in hoc stadio sunt observata aut stasi, quae circulatione sanguinis in hepate impedita in vena portae est facta aut hepatis functionibus impeditis efficiuntur. Ut iam supra diximus, rami venae portae striis fibratis contractis compressi invii fiunt et obliterantur. Deinde primum exsistit stasis in venis lienis, ventriculi totiusque tractus intestinalis et peritonaei. Itaque lien invenitur hyperaemicus et percussione palpationeque tumidus; sed Frerichius dicit, se ex triginta sex casibus in duodeviginti tantum lienem invenisse tumefactum. Plerumque autem eius structura permutatur. Ventriculi et intestini tunica mucosa fere semper est tumefacta et perpetuis catarrhis affecta, ita ut digestio maxime impediatur. Quamquam cibi desiderium non semper deest, tamen persaepe adsunt Meteorismus, molestiae venis haemorrhoidalibus nimis impletis factae atque diarrhoeae praecipue sub morbi finem perpetuae cum faecibus paulo tinctis. Praeterea omnibus fere in casibus est observatus ascites, qui effectus est liquore, qui clarus et perlucidus nisi sanguine vasi nimis impletis fissis suffuso aut bilis pigmentis est tinctus. Si permultum liquoris in abdominis cavo est collectum, fieri potest, ut diaphragmate altius in thoracis cavum prominente exsitat dyspnoea. Nec minus ascites impedit organorum, quae in abdominis cavo sita sunt, functiones, praesertim quum persaepe accedat tympanites. Itaque fieri potest, ut homo cirrhosi aegrotus singulis in

coenis paullum modo cibi sumere possit, et ventriculus non priusquam punctione facta liquor ex abdominis cavo emissus est normalem cibi quantitatem suscipere possit. Illae, quas iam supra commemorari, venae, quae circulationem collateralem susceperunt, praecipue haemorrhoidales et abdominis subcutaneae implentur atque extenduntur et eandem ob causam nonnunquam illud, quod vocatur caput Medusae circa umbilicum situm est observatum. Maxime etiam sunt hepatis functiones impeditae. Ut iam supra vidimus, tertio in stadio hepatis cellulae magna ex parte in nonnullis lobulis omnes destructae vel degeneratae sunt. Quam ob causam non solum minor bilis copia, quam opus est, ut satis adipis resorbatur, secernitur, sed etiam sanguinis totius constitutio, quae sit vis hepatis functionum in eam, corrumpitur, ita ut non solum digestioni sed totius corporis viribus obsit cirrhosis. Accedunt illa, quae efficiuntur ictero, qui cirrhosin saepe comitatur, symptomata, quae singula enumerare, hac in dissertatione longum est. — Haec, quae paucis descripsi, cirrhosis ipsius propria symptomata persaepe complicationibus, sive hepatis cirrhosin effecerant sive secutae erant multiplicantur. Itaque haud raro praeter symptomata, quae sunt cirrhosis ipsius propria, corruptionem totius corporis invenimus, quae syphilide, aut intemperato usu vinorum spirituosorum imprimis adustorum aut aliqua alia illarum, quae sub Aetiologia sunt enumeratae, causarum est effecta. Accedunt nonnunquam

degenerationes aliorum gravissimorum organorum praecipue renum, qua causa singuli casus inter se multum differre possunt. Praeterea sunt observatae haemorrhagiae multis in organis, pneumoniae, pleuritides etc., quibus morbi finis nonnunquam celeriter fieri potest lethalis. Illa, quae supra nominavi symptomata in hepatitide diffusa, si hepar redigitur in minorem et si in maiorem modum, sunt eadem. Attamen maxime aliter res se habet, si respicimus symptomata localia. Nam hepate in minorem modum redacto, percussione, si ea hepatis amplitudinem constituere quaeris, sonus parvo modo spatio vel nusquam redditur depressus. Nec palpatione saepe, quum hepar deminutum aut in cavo diaphragmatis in thoracis cavum prominentis aut in abdominis cavo retro positum sit, qualis sit superficies et margo hepatis, invenies, prosertim quum, si in palpatione adhibenda digittos abdominis tegmentis imprimi opus est, saepe musculis abdominis tegmenti contractis novum exsistat palpationis impedimentum, quod non semper superari possit. Sed hepate amplificato, inspectione sola iam saepe cognosci potest, hypochondrium dextrum prominere. Percussione non solum a summa ad imam partem sed etiam a dextra ad sinistram hepatis partem sonus depressus in magis amplio spatio redditur. Hepatis margo, etsi adest medius ascites, digittis granulis obrutus atque acutus induratusque sentiri potest.

DIAGNOSIS.

Ex eo, quod differunt inter se propria symptomata localia cirrhosis hepatis cum incremento ac cirrhosis hepatis, quae id in minorem modum redigit, apparet, diagnosim priori casu multo majorem auctoritatem habere. Etiamsi enim, si adsunt perpetua indigestio, faeces non tinctae, tumor lienis, ascites chronicus, omnia illa momenta graves ansas diagnosis in hepatis cirrhosim praebent, tamen tales res objectae in aliis morbis observantur, ut in Pylephlebitide adhaesiva, in compressione venae portae vicinis tumoribus, ita ut diagnosis in hepatis cirrhosim non nisi symptomatibus localibus et praecipue palpatione hepatis fiat indubia. Haec autem palpatio, hepate in minorem modum redacto, praesertim quum Ascites medius adsit, difficillima est vel etiam omnino non fieri potest; in talibus casibus tum denique fit diagnosis perfecta et certa, si paulo post factam punctionem palpatio fieri potest. Facilius contra est palpatione ad summam pervenire, quae ad diagnosim conferri potest, si hepar ad maiorem modum amplificatum est. Vel etiam mediocriter magno ascite, si apte situs est aegrotus, qualis sit hepatis margo, palpatione inveniri potest. Tantum, ascite valde extenso, hepate in abdominis cavo retro locato, punctio abdominis diagnosim certiorem facere potest. Res si ita se habet, est respiciendum, omnia illa, quae supra

dixi symptomata, quae circulationem sanguinis impeditam venarum portae sequuntur, multo celerius exsistere, si eorum causa sit Pylephlebitis aut compressio venae portae vicinis tumoribus, quam si illorum causa sit hepatis Cirrhosis. Confundere cirrhosim et hepatis carcinoma vetat accurate facta palpatio, qua facile, superficiem, si in adversa est carcinoma, hepatis magnos tenere tumores, inveniri potest et si in averta hepatis parte est carcinoma, invenimus vel eosdem tumores, si digittis altius immissis hepatis marginem amplecti tendimus, vel tamen marginem normalem et granulis tuberculisque carentem. Simul ac in diagnosi constituenda, quam diu hepatis vitium, si quod adest, jam manuerit et quo modo per hoc tempus illud totius corporis constitutionem confecerit, est respiciendum. In degeneratione quidem, quae vocatur amyloides, hepatis volumen quoque amplificatur, sed, hepate hoc modo degenerato, fere semper deest Ascites. Res quum ita se habeat, non est difficile palpatione hepatis marginem tumefactum atque undique conglobatum et superficiem eius, quoad digittis attingi potest, sine granulis tuberculisque inveniri. Fere semper deest Icterus, nisi in porta hepatis glandulae, postquam intumuerunt, quod rarissime fit, ductum hepaticum compressum habent.

Praeterea in hoc hepatis vitio fere semper renes eadem degeneratione sunt affectae, quam ob causam invenitur Albuminuria. Hepatitis interstitialis circumscripta et absces-

sus hepatis, qui illam persaepe sequuntur et illud hepatis vitium, cuius causa sunt Ecchinococci, non facile cum cirrhosi confundi potest, si modo, omnibus aliis symptomatibus, quae illorum singulorum morborum sunt propria, neglectis, palpatio accurate adhibetur. Sed multo magis in diagnosi differentiali est peritonitis chronica respicienda, quae primo adspectu hepatis cirrhosi simillima videtur. Res si ita habet, quaeras, quae sit hepatis morbi causa et raro, causa reperta, diagnosis inter cirrhosim et peritonitidem dubia erit, praesertim quum, si adest peritonitis chronica, obdomen in omnibus partibus vel sua sponte vel si forte attingis, doleat, fere semper non sit impedita digestio, faeces sint tinctae et hepatis margo, si palpatio fieri potest, normalis inveniatur. Hepatis atrophia chronica, si cavum obdominis multum tenet liquoris neque Anamnesis diagnosis praebet momenta sine punctione facta ab hepatis cirrhosi dijudicari non potest. —

EXITUS ET PROGNOSIS.

Illas maximas hepatitide interstitiali diffusa effectas hepatis texturae mutationes, quibus tam gravissimi organi functiones maxime sunt impeditae, totius corporis vires

corrumpere facillime intelligi potest, praesertim quum causae, quae morbum efficiunt, et illae perturbationes, quae illud hepatis vitium sequuntur, corporis constitutionis corruptionem augeant. Infirmitas, macies, hydrops totius corporis, mors denique marasmo adducta, quae nullo modo retineri potest, sequuntur tale iam multo progressum hepatis vitium, nisi morbi intercurrentes, pneumonia cet. iam prius vitae finem fecerunt. — Itaque prognosis, si quando stadium tertium coepit, omnino semper infausta est. Contra prognosis non semper est infausta, quamdiu morbus stadium Hyperaemiae et exsudationis non transiit. Sed quum hoc quoque in stadio, quod propter minus magnas molestias, quas efficit, omnino raro medico traditur, plurimi praeterea casus tales sint, ut medicus morbi causam amovere non possit, tamen exiguus tantum numerus casuum restat, qui, quod ad prognosim pertinet, non iniqui nominandi sint.

THERAPIA.

Prophylaxim cirrhosis hepatis si sequi vis, omnes illae res tibi sunt evitandae, quas supra dixi cirrhosis esse causas. Sed cirrhosis pericula non magis diffusionem

syphilidis impediant, quam intemperantem vini adusti usum. Praeterea multae causae restant, quas evitare non semper in potestate et voluntate cuiusque positum est. Quod autem ad hepatitidis interstitialis diffusae therapiam ipsam pertinet, hic morbus tantum in hyperaemiae et exsudationis stadio sanari potest. Tunc primum causae, si non jam perniciosam vim habere desierunt, sunt removendae. Itaque id animadvertendum est, ut potatores vini adusti usum omittant aut, si cirrhosi aegroti sunt syphilitici, virus syphiliticum ex corpore removeatur etc. Deinde diaeta est praescribenda; ut radices venae portae depleantur, ad anum hirudines sunt applicandae cet., quae praecepta cuiusque idiosyncrasiae sunt aptanda. Hoc modo, tempore secundo, fieri potest, ut morbus sanetur. — Sed simul ac hepatitis interstitialis diffusa primum stadium transiit, therapia nulla nisi symptomatica est. Nihilo minus tamen, quamquam sanatio effici non potest, morbi causae, si fieri potest, sunt removendae. Deinde imprimis curandum est, ut hepatis cirrhosi aegroti vires, quamdiu possunt, conserventur. Quam ob rem animadvertendum est, ut cirrhosi patientes cibum praecipue e fructibus constantem, qui multum teneat alimenti, sumant neve obstructione laborent. Si forte perihepatitis accedit, cataplasmata, vel acutis doloribus narcotica, raro autem hirudines in regione hypochondrii dextri sunt adhibendae. Ascitem, nisi tempore maxime necessario, punctione removeri non licet. Nam haud multo post tantum liquoris,

quantum erat effusum, denuo transsudatur, itaque succis sanguini ademptis, vires mox corrumpuntur. Si forte praeter Cirrhosim alii adsunt morbi, ad suam quisque iudicationem est tractandus. Certa hepatitidis interstitialis diffusae curandae norma, quod therapia huius morbi fere nulla, nisi symptomatica est, praescribi non potest, praesertim quum morbi causae, idiosyncrasiae et ii morbi, qui cirrhosim saepe comitantur in therapia sunt respiciendi.

HISTORIA PRIMA.

Fridericus S. triginta tres annos natus, cementarius, potator, semper fuit, ut dixit, sanus usque ad nonnullos ante mortem annos; quo tempore primum dolebat in ventriculi regione. Haud multo post accesserunt inopia desiderii cibi, indigestio, vertigo, cephalaea, bronchitis cum sputis coctis et obstructio perpetua. Medicum, ut sibi ferret auxilium, S. non quaesivit nec negotio suo praeesse desiit. Quum S. vini adusti usum, cui iam dudum deditus erat, non omitteret, in diem magis laborabat. Hieme media anni 1863 sputa sanguinolenta eiiciebat. Die duodevicesimo Martii 1864 se aegrotum medicis polyclinicis tradidit. Hoc tempore iam semper lecto tenebatur et febri

acutiore affectus erat. Medico cephalaeam, cibi desiderii et somni inopiam et tussim impertiebat. Quamquam S: tam diu indigestione laboraverat, tamen vires corporis nondum erant corruptae. Cutis ictero modice erat tincta

Pulsus arteriae erant 120.

Temperatura 31,2° R.

Lingua labiaque crustis asperis erant obtecta. Thorax bene formatus. Percussio, auscultatio, palpatio organorum cavi thoracis normales. Obdomen turgidum. Hypochondrium erat dolore affectum. Percussione sonus depressus redditur a spatio intercostali quinto usque ad regionem infra umbilicum sitam. Palpatione hepatis margo acutus atque induratus invenitur et superficies hepatis libera a tumoribus maioribus. Lien etiam erat amplificatus. Praeter tympanitem aderat exiguus ascites. Faeces usitato colore non iam satis erant tinctae sed durae et cum sanguine partim rubro partim nigro mixtae. Urina erat modice rubro calore, rara atque reagentiis chemicis adhibitis indicabat bilis pigmentum. Non aderat oedoema pedum et manuum. Quae quum ita se haberent, diagnosis in hepatis cirrhosim non iam erat dubia.

Ordinatio: diaeta et purgantia.

Sed aegroti vires in dies magis debilitatae atque attenuatae sunt. Haud multo post delirabat; ascites magis

magisque amplificabatur; eodem modo icterus. Ab illo tempore S. recusabat cibos et medicamenta sumere. Septimo die Aprilis accessit oedoema pedum et hydrothorax. Paulo post mente est alienatus et incidit in soporem, ex quo suscitari non iam potuit. Mortuus est die nono Aprilis.

Obductio triginta sex horas post mortem facta.

Corpus pro morbo non valde erat corruptum; sinistro pede erat cicatrix fracturae complicatae sanatae; cutis valde icterica; rigor mortis exiguus; ex ore fluit liquor spumosus cum sanguine mixtus. Cavum cranii non aperiebatur.

Thorace aperto pulmones paululum modo collabuntur; pleura pulmonalis in utroque latere exigue pleurae costali est adhaesiva. Uterque pulmo a posteriori parte est mediocriter oedoematicus. Tunica mucosa trachealis et bronchialis signa bronchitidis chronicae offerebat. Bronchi permultum liquoris mucilaginosi continebant. Cavo pleurae inerat paullum liquoris bilis pigmentis tincti. Cavum autem pericardii centinebat liquorem maxime tinctum. In latere pericardii cordi adverso magna macula fibrosa est inventa. Fibrae cordis musculares relaxatae et magna ex parte erant degeneratae. In cavo peritonaei multum liquoris lutaei inerat. Venae peritonaei erant varicosae. Hepar

finitimis organis arcte adhaesivum et tam amplificatum, ita ut triplicem haberet amplitudinem hepatis normalis. Hepatis margo durissimus et acutissimus. Superficies hepatis multis granulis tuberculisque obruta; culter, dum incidit, stridet. Singuli lobulorum ordines valde a singulis erant seiuncti, vena centralis non perspicua. Omnes hepatis partes striis latissimis durissimisque, quarum structura fibratissima erat, transmissae erant. Neque ulla pars praebebat degenerationem, quae vocatur amyloides. Splen in triplicem modum amplificatus, eiusque parenchyma tam molle, ut capsula insecta difflueret.

Renes normales.

Ventriculi tunica mucosa tumefacta, pigmentosa et multis parvulis locis sanguine suffusa.

Intestinalis tunica mucosa eodem modo stasi venarum erat mutata.

HISTORIA ALTERA.

Augusta S., potatrix strenua, adolescens viro syphilitico infecta. Ex die septimo decimo Augusti huius anni lecto affixa medicis polyclinicis se aegrotam tradidit. Labo-

rabat ex exiguo oedoemate manuum et pedum, magno ascite, exiguo ictero, perpetuo vomitu et perpetua diarrhoea, quibus molestiis consumpta mortem obiit die undecimo mensis Octobris huius anni.

Obductio triginta horas et unam pot mortem facta. Corpus macie valde corruptum, ictero tinctum, extremae corporis partes oedoematicae, abdomen valde extensum. Cavum cranii non aperiebatur; Pulmones thorace aperto non collabebantur, in partibus marginalibus emphysematici; reliquae partes erant normales.

Cordis musculi erant relaxati et fibrae musculares magna ex pate degeneratae.

Abdominis cavum continebat multum liquoris icterici.

Hepar maxime erat amplificatum et finitimis organis valde adhaesivum eiusque superficies multis granulis tuberculisque obruta; culter, dum heper percuttit stridet. Hepate inciso singuli lobuli valde tincti, striis fibratis constricti et seiuncti. Totum fere hepar constat ex textu aequaliter per organum diffuso fibrato; vesica fellea modice bili liquida impleta.

Splen parvus et mollis.

Ventriculus inflatus continebat paullum liquoris sanguinulenti; tunica mucosa iam putrefacta et nonnullis locis emphysemate lata.

Renum capsula facile detrahi poterat, sed uterque normalis.

Venae mesentericae nonnullis locis varicosae Colon valde hyperaemicum, ileum normale.

VITA.

Natus sum Fridericus Franciscus Schulte die VIII. mensis Februarii a. h. s XL. in vico Kirchhundem in Guestphalia sito, patre Francisco Guilelmo, Oeconomo, matre Sophia e gente Boots, quam iam dudum mortuam plango. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis in vico Kirchhundem a magistro divini verbi Büchtemann imbutus, gymnasio oppidi Coesfeld, directore Schlüter, deinceps gymnasio Arnsbergiensi directore Hoegg traditus sum. Anno h. s. LX. examine superato, tempore auctumnali ab Ill. Scherer, qui tunc fuit rector Magnificus, civibus academicis universitatis litterariae Iulianae Maximilianae Wirceburgiensis adscriptus, nomen professus sum medicinae studiosi. Per tria semestria his interfui scholis. Ill. Koelliker de anatomia systematica et artem cadavera rite dissecandi, Ill. Müller iam beatus de osteologia et histologia, Ill. Scherer de chemia anorganica, Ill. Schenk de botanice me docuerunt.

Anno h. s. LXII. tempore paschali Berolinum profectus sum, ubi inter cives universitatis litterariae receptus per unum semestre has scholas frequentavi. Ill. Du Bois-Reymond de physiologia et de diffusionis legibus me docuit.

Deinde Wirceburgium regressus et inter cives universitatis litterariae iterum receptus ab Ill. Bamberger de pathologia et therapia speciali doctus sum. Quibus scholis per unum semestre frequentatis Halas Saxonum profectus sum et inter cives academicos universitatis litterariae Fridericianae receptus, hisce scholis interfui per tria semestria et tentamen physicum Ill. Krahmer decano absolvi. De akiurgia et de chirurgico-ophtalmiatricis Ill. Blasius, obstetriciis Ill. Olshausen, clinicis medicis Ill. Weber me docuerunt.

Omnibus illis viris optime de me meritis summas habeo semperque habebo gratias.

Iam vero tentaminibus, quum physico tum medico examineque rigoroso rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In flexionibus uteri curandis instrumenta sunt adhibenda.

II.

Infans utrum post partum vixerit, necne, e cadavere potest cognosci.

III.

Radicalis herniarum operatio reiicienda est.